



1779, 8.

P. 294

Q V I S
MORTVO NULLIS HEREDIBVS
RELICTIS EMPHYTEVTA
IN EMPHYTEVSI SVCCEDAT.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XXVII. MART. ANNO MDCCCLXXIX.

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS TRAVGOTT BARTHOLDVS

MVSCHWITZ. MISNIC.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



1715

MORTVO NULLI HEREDIBVS
RELICTIS EMPHYTEVTA
IN EMPHYTEVVS SUCCEDAT

ILLESTRICTORVM ORDINIS GRATIA
P. A. 23 DE

D. CHRISTIANO HENR. BREYNING

PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII IUR. NAT. ET CENS.
ET SOCIETATIS IUR. CIVILIS

IN AVDITORIO IURIDICO

DIE XVII. MARTII ANNO MDCCCLXXII.
DISPVTADE

FREDERICVS TRAVGOTT BARTHOLDVS

MAGISTRVS


LIBRARIUS
EX OFFICINA LITTEBARIANA





QVIS
MORTVO NULLIS HEREDIBVS
RELICTIS EMPHYTEVTA IN EMPHYTEVSI
S V C C E D A T.

§. I.

 Non est, vt longe lateque de Emphyteusibus atque originibus eorum disputemus, quippe hoc ante nos ab aliis doctis hominibus factum, tantum notabimus, quod ad thematis nostri decisionem necessarium videtur. Non repugno, negotium emphyteuticarium seu potius, quod eidem simile, praeter Romanos, aliis cognitum fuisse gentibus, vt monet *Euerh. otto ad Instit. L. III. cap. 24.*

* 2

§. 3.

§. 3. Diximus *potius*; Non enim adfirmem, ea, quae aliis gentibus negotia cognita, fuere *emphyteuses*, hoc enim obinde esse nequit, cum Imperator ZENO in *L. 1. C. de Iur. emphyt.* hoc primum determinauit ipsiusque naturam constituit. Videmur ergo rectius dixisse simile tantum. Est enim certissimum, Romanis priuato iure ante Zenonem indefinitum fuisse negotium, ut adeo disputatio esset inter Iureconsultos, vtrum venditioni et emtioni, an locationi conductioni adnumerandum sit, quod ipse et ZENO *c. 1.* et IVSTINIANVS §. 3. *I. de locat.* testantur. Fuit ergo conuentio illa, qua priuatus initio incultum et sterilem fundum priuato sub conditione meliorationis committeret, praestito vectigali domino in agnitionem sui dominii, nihil nisi *pactum iuris gentium* et ideo *nudum*. Quapropter, ni traderetur fundus, actio ad adimplendum pactum media Iurisprudencia haud praescripta, cum ex nudo pacto actiones deficerent: sola *rei vindicatio utilis*, si traditione fundi adimpleta promissio, Digestorum iure cognita. Mirum praeterea non est, variis gentibus eiusmodi conuentiones inter priuatos cognitatas fuisse, quae quidem non eadem, quae Romanorum *emphyteuses* constituebant, at similitudo maxima intercedebat, praecipue cum praedia illa colenda rustica plerumque conuentionis obiectum.

§. II.

Sicuti vero *Emphyteuses* inter Romanos ex imitatione conuentionum, quas Populus Romanus superata et in formulam redacta prouincia cum prouincialibus inierat constituendo agros vectigales recepta; ita aliae gentes in similibus conuentionibus alia suisque rationibus conuenientia argumenta seruarunt, quae naturam illarum conuentionum determinarunt, ut patet
ex

ex censiticis aliisque rusticorum praediorum generibus inter populares nostros. Negari enim nequit, quod similitudo inter illas popularium de rusticis praediis conuentiones cum Romanis emphyteusibus intercedat; at ficui similitudo nunquam efficit, vt ex simili idem oriatur, ita multa est diuersitas inter Germanicae originis praedia rustica atque Romanorum Emphyteusēs, vt ab his ad illa, et versa vice argumenta duci non possint. Non tamen hoc obstante, si Pragmaticorum turbam inficias, in exponendis quaestionibus, quae de praediorum nostrorum rusticorum iuribus, obligationibus et natura, ortae sunt, vt mos illorum temporum erat, omnes decisās videbis ex iuribus emphyteuticariis s. ex Iure Iustiniano, quod tunc Ius ex superstitione fori et patriarum legum et iurium ignorantia omnis atque vnicus fons iustitiae videbatur. Et tamen consentiant omnes in dubio *censitica* praesumi *bona*, non *emphyteuticaria*, imo vehementer dubito, vtrum existant emphyteusēs originarie ex conuentione in Germania, nisi eae ex decisionibus ex iure peregrino desumptis exortis controuersis per iurium ignorantiam emphyteuticarium ius admixtum obtinere praedia germanica. Patet ex controuersis de *Laudemio* ortis, quod vulgus commiscuit cum quinquagesima Iustiniana *L. 3. C. de Iur. Emphyt.* introducta, quae tamen tota natura a Lohnegildo illo Germanico seu *Laudemio* diuersa, quod iam HEINECCIUS in *Element. Iur. Germ. L. II. §. 125.* obseruauit.

§. III.

Quicquid vero sit, existant Emphyteusēs, nec ne, sint verae Emphyteusēs aut Emphyteusibus similia praedia, hoc nobis aliquando perinde erit, qui ex forensi more cuncta commixta aliquando iudicabimus, ita tamen, vt decisio non contrarietur rationibus iuris patrii diuersis. Thema est: Caius Emphyteuta moritur nullo herede relicto; quaeritur, quis ei

succedat? Forſitan inutilis videtur quaefſio. Nam quid obſtat, quo minus Caius teſtamento ſibi ſcribat heredem, cum, niſi ſpecialis conuentio adſit, omnino emphyteuta in heredes quoscuque tranſmittat, quippe nulla de Emphyteuſi diſpoſitio reſtriſta, quam venditio, vt eſt in *L. 3. C. de Iur. Emphyt.*, et ita tantum reſtriſta, vt omnino et alienare ac in alium tranſferre liceat, ſed non niſi *conſentiente domino*. Cedo, inutilem eſſe quaefſionem, ſi heredem reliquit teſtamento inſtitutum. At quid iuris, ſi nec inſtatutum, nec teſtatum relinquit? Scimus, hereditates vacantes cedi *fiſco*. Ita Conſtitutio HONORII ET THEODOSII AA. in *L. 4. C. de bon. vacant.* generaliter diſponit: *Vaticano mortuorum bona tunc ad fiſcum iubemus tranſferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea, vel iuris titulo legitimum reliquerit inſtatutus heredem*. Quaeri ergo poteſt: an fiſco cedat Emphyteuſis tanquam vacantis hereditatis pars.

§. IV.

Si ex ſolo iure Romano quaefſio haec et de ſolis Emphyteuſibus decidenda, vix difficultas aliqua aſeſſe poteſt. Si enim ius, quod emphyteuta habet, ex ſola conuentione pendet, quae conuentio ſaluum relinquit domino ius dominii, mediante traditione, conſequimur redire debere rem, ſi nemo ex prima illa emphyteuticaria conuentione ius habere poſſit, quod fit, ſi nullus adſit heres, ad ipſum dominum, qui nunquam dominus eſſe deſiit, ſed cuius dominium quiuis emphyteuta praefſtando canonem agnouit. Ais: *utile* tamen *dominium* emphyteutae competere. Ita ſane dicunt, ſed nulla lege haec utile dominii ſomnia fundata, potius, ſi tanquam *terminum artis* dominii vtilis denominationem ſeruare placeat, in hac iuris materia vtile dominium emphyteutae competens, nihil aliud erit, quam *exercitium dominii nomine illius, qui dominus eſt*. Vi huius exercitii poſſidet, vitur, fruitor, vindicat rem a quocunq; poſ-

possessore, adeo a domino, qui transferendo exercitium domini in emphyteutam, suo renunciauit iure possidendi, vtendi, fruendi. Hinc, si eius ius exercendi domini morte expirat, ex natura primae illius conuentionis domini ius vtendi fruendi possidendiue seu potius exercendi domini reuiuiscit. Hinc mortuo emphyteuta dici nequit bonum vacans, sed res venit ad dominum, quem vulgus directum vocat, lex simpliciter dominum.

§. V.

Sed quid de forensi et nostro iure dicamus? Quamuis enim nihil certius est, quam quod, quae de omni prope genere praediorum rusticorum Germaniae dicuntur, ea non constituant emphyteuses Romanas, imo iam supra monitum sit, male Romana applicari et germanica confundi; tamen non nego, quae antea de successione in emphyteusi diximus, non incommode ad nostra applicari posse praedia rustica. Monent quidem patriarum legum et iurium peritiores, rustico maxime in censiticis siue sint nude tales *Zinss* siue *Erbzinss Güter* seu censitica hereditaria, plenum competere dominium. Caue ergo transcribas emphyteuses *Erbzinss Güter*, quae inepta est appellatio; in emphyteusi enim non *Zinss*, sed *canon* soluitur, imo et censitica bona hereditario iure possidentur. At si ad illud ius quod rustico competit respicimus, semper ex patriis moribus locatum seu potius *geliehenes* vel *durch Lehn Contract* possidet dominium. Hinc recte a *Petr. de LUDWIG* in *Iur. Clientel.* est tractatio *de iuribus feudo vicinis*, in qua praedia rustica tractat. Concludo itaque, cum rusticus ex illo contractu locationis Germanis proprio pleraque possideantur praedia, si sine heredibus moriatur censita, cessare locationem eaque cessante, rem redire ad eum, qui locauerat dominium, cuius iura semper salua manent tanquam locatoris, vt is in suo iure

iure laederetur, si fisco fundus, tanquam vacantis hereditatis pars tribueretur.

§. VI.

Quae cum ita sint, quamuis alias moribus et ratione nitantur, quae de agris desertis proferuntur, de quibus STRYCKIUS *Diff. de agris desertis* videndus, in quibus ob onera publica fundis imposita fisco ius competit, disponendi, si sint relicta, cum quibus et vacantia comparari possunt; tamen nollem haec semper obseruari, quippe haec opinio domini destrueret ius. Quapropter ante omnia videndum, vtrum idem sit fundi locator ex iure germanico, seu, vt vulgo dicunt, dominus directus atque iurisdictionis, cui fisci ex Germanorum institutis ius competit, an diuersus sit dominus directus a domino iurisdictionis; si prius contingit, vt vnus idemque sit dominus iurisdictionis et dominus directus, nihil est, quod moueamus, quippe vacans praedium semper tunc redibit ad dominum, siue capiat tanquam directus, siue iurisdictionis. At quid? si sint diuersae personae dominus iurisdictionis et quem directum vocant! Puto, quae supra ex Romano iure diximus in emphyteusibus posse applicari; non enim vacans dici potest praedium, quod dominum habet, ad quem mortuo rustico haftenus locatum redit dominium. Hinc cum vacans non sit, proprie a fisco vindicari in detrimentum domini nequit, cui in suo iure laesio inferretur. Cum tamen possessor seu rusticus ad onera publica ferenda teneatur, si forsitan reipublicae factus sit, non soluendo onera, debitor, onus soluendorum onerum simul in dominum deuoluatur necesse est. Quare si nolit dominus soluere onera, recte fisco fundum occupabit tanquam sibi ob debita onera nexum, non vero tanquam vacantem. Contra si soluerit onera, ad solum dominum directum fundus redeat necesse est.

Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.





24

1779, 8.

P. 297

Q V I S
MORTVO NVLLIS HEREDIBVS
RELICTIS EMPHYTEVTA
IN EMPHYTEVSI SVCCEDAT.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
S O C I O

IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XXVII. MART. ANNO c180cclxxix.
DISPV TABIT
FRIDERICVS TRAVGOTT BARTHOLDVS
MVSCHWITZ. MISNIC.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

KONFRIET
UNIVERS.
ZVILIALE

